



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.  
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac  
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas  
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Communi B. V. in Sabb. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

- 4 Ad Matutinum post Invitatorium, & Hymnum de S. Maria, dicitur unum Nodurnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio. Versus de S. Maria prima, & secunda Lectio ex Scriptura de tempore occurrenti; tertia Lectio, & alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus, & Horis, ut in Officio S. Mariae in Sabbato assignantur.
- 5 Dicuntur Preces Dominicales ad Primam, & Completorium; & sunt suffragia consueta de Apostolis, & Pace, & tempore Paschali sola commemor. de Cruce, ut in secunda Feria post Oct. Pascha. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemor. cum aliis suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

## Novae Observations, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. VI. De Officio B. Mariae in Sabbato.

I. Rubr. præced. n. 1. *Et nisi fiat Officium novem Lectionum, &c.)* Disponit Rubrica, & declarat, à quibusnam Festis, seu Officiis impediatur Officium Simplex B. M. in Sabbato; declarat igitur hoc Officium impediti ab omnibus Officiis ix. Lectionum, nempe ab omnibus Duplicibus, & Semiduplicibus, à diebus infra Octavas, includendo etiam Sabbatho infra Octavas Pasche, & Pentecostes, quamvis in his habeatur Officium tantum trium Lectionum. Rursus impeditur hoc Officium etiam à Feriis Adventus, & Quadragesima, & ab omnibus Vigiliis &c. prout citata Rubrica num. 1. Denique inhærendo Decretis editis die 27. Aprilis 1697. & die 7. Februarii 1699. datis in nostro Indice sub numeris 192. & 213. impeditur etiam hoc Officium S. M. in Sabbatho ab Officio ix. Lectionum concessò aliquibus Regularibus, vel alicui Diecepsi semel in Hebdomada recitando, præfertim si tota Hebdomada tale Officium non potuerit recitari.

II. Gavant. pag. 144. col. 2. n. 5. - In Completorio Feria VI. quamvis sit de Festa IX. Lectionum, &c.) Concedit Gavantus hoc loco, quod si in Feria VI. habeatur Offi-

cium ix. Lectionum, & sequenti Sabbato debeat recitari hoc Officium B. M. tunc in Completorio Feria VI. in fine Hymni debeat dici: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine &c.* Afferitque illud jus habere B. M. quia supponit Gavantus in tali Feste ix. Lectionum factam esse Commemorationem ejusdem Officii B. V. An verò eadem Hymni conclusio in Completorio dici quoque debeat, si omittatur dicta Commemoratio ob Officium altioris ritus, quod occurtere potest in Feria VI. negat idem Gavantus *Set. 5. cap. 6. n. 15.* Guyetus tamen lib. 4. cap. 19. quest. 3. adstruit, quod haud multum reficeret afferenti contrariam opinionem, hac ratione permotus, quia quamvis omissa Commemoratione B. V. nondum inchoatum fuerit Officium diei sequentis de B. V. formaliter, & expresse, nihilominus cum de eadem postridie futurum sit Officium, virtute saltem censeri debet inchoatum; adeoque jam inde assumenda quæ ejus sunt, perinde atque retinentur in Feste aliquo primæ Classis occurrente infra Octavas, quæ ad Octavam pertinent, licet de eo nulla facta sit Commemoratio.



Y y 2

SECTIO

